

DISSERTATIO THEOLOGICA,

S I S T E N S

COMPARATIONEM INTER NESTORII ET CYRILLI DE
INCARNATIONE τοῦ Αὐτοῦ, IN CONCILIO EPHESINO,
ANNO POST CHRISTUM NATUM CDXXXI, DIJU-
DICATA DOGMATA,

CUJUS

PARTEM PRIOREM,

CONS. MAX. VEN. FACULT. TH. IMP. UNIV. ALEXANDR.
PRAESIDE

MAG. GUSTAVO GADOLIN,
*S. S. Th. Doct. Prim. Theol. Prof. Archi-Præp. de S:t Wolo-
dimiro in IV Classe Equite,*

PRO CANDIDATURA THEOLOGICA

PUBLICAE CENSURÆ MODESTE SUBJICIT

ISAACUS REGINALDUS ENEBERG,
Phil. Mág. Boreæ-Fennio.

In Atrio Ven. Capit. Al. majori d. XIX Dec. MDCCXXVII.

h. p. m. s..

ABOAE, typis FRENCKELLIANIS.

V I R O

MAXIME REVERENDO, THEOLOGIAE DOCTORI,
ECCLESIARUM, QUAE DEO IN WEHMO COLLIGUNTUR,
PASTORI, ADJACENTIUMQUE PAROECIARUM
PRAEPOSITO,

M A G . I S A A C O E N E B E R G ,

P A T R I O P T I M O

S A C R U M

D . V.

FELIX OSEQUENTISSIMUS
ISAACUS REGINALDUS ENEBERG.



Quicunque, animo, ira et studio vacuo, diligenter per-
lustraverit plurim, in primis ecclesiae Christianæ
temporibus celebratarum synodorum historiam, atque atten-
te consideraverit et res in iis tractatas et modum, quo di-
judicatae eadem fuerint, maximam venerationem et fidem
fere absolutam antiquiorum horum conciliorum decretis haud
sane semper deberi procul dubio sentiet. Controversias et
lites, ad arbitrium horum conciliorum delatas, discepta-
tas videbit ab innumerabili quidem Episcoporum agmine;
horum vero plurimos caruisse scientia et judicio, opinio-
nibus pravis perversisque libero, quin e contrario vel invi-
dia et gloriæ cupiditate vel versutis aulicorum artibus et
quorumdam ex opulentioribus factiosorum occultis et calli-
dis consiliis imperatos; qua re effectum, ut veritas et inte-
gritas partiuni studio et auctoritati succumberet. Ipsa ra-
tio qua caussæ propositæ sunt, turbulenta et vehemens, in-
dignatione harum rerum spectatorem implebit, et quo a-
pertius extricare poterit is machinationem et sollertia-
m ingeniosam, quæ certiori dogmatum definitioni haud raro
ansam dedit, quo clarius hinc perspiciet, superbiam et im-
perandi cupidinem, sub specie Religionis, primas hic egis-
se partes, quo accuratius denique perpendet effectus ho-
rum conciliorum, quibus lites et controversiæ haud sem-

A

per

per compositæ, sed sæpiissime auctæ et exacerbatae sunt, eo facilius in mentem ei veniet solvenda quæstio: quem usum conventus synodales seculis illis antiquioribus frequentes habiti, ecclesiæ Christianæ attulerint? Numque commodum, quod effecerint, immensam injuriam et calamitates, sævas et horribiles vexationes, quibus variis homines conciliorum illorum vi et anctoritate afflicti sunt, compensare potuerit? Argumentum hujus rei discutiendæ, ex aliis præbet concilium generale Ephesi, priori dimidia parte seculi post Christum quinti, congregatum. Excepta Nicæna, nulla ejus ævi synodus documenta violentiæ, arrogantiæ, iusectandi furoris et denique omnimodæ malitiæ et infamiae offert luculentiora, quam quæ præbet hæc Ephesina. Nempe qui hic litigarunt, ordine et opibus in Civitate præstantiores fuere, quam in præcedentibus, in quibus viri levioris tantum dignitatis cum tota mole ecclesiæ antistitum concertarunt. Ipse Arius, cuius dogmata Nicænae damnabantur, non nisi Presbyter Alexandrinus fuit, sectatoresque initio valde paucos muneris, quod in se infausto ausu sunserat, reformatori, numeravit. Verum Ephesi convenerunt ab una parte Patriarcha Alexandrinus, Episcopi Romani auctoritate fultus, et toto suæ dioeceseos clero stipatus, atque ab altera, Patriarchæ, Constantinopolitanus et Antiochenus, una cum ordine sacerdotali Orientalium, ita ut vel inde pateat non potuisse concilium Ephesinum, quin Nicæno illo turbulentius esset. Quod etiam probatur, si considemus potentia et dignitatis culmen, ad quod hi Episcopi post seculum quartum jam ascenderant, et emulationem inter eos inde ortam, quæ in dissidiis Arianis se conspicientam non pouuit non præbere. Si pastores populorum pro viribus suis haud exiguis, omnem operam et laborem magis ad commoda ecclesiæ, quam sua ipsorum paranda, adhibuissent, sive vacillantes stabiissent et a vero aberrantes in rectam viam mansvete reduxissent, quot et quanta mala avertere potuissent? Sed in ecclesia doctrinæ orthodoxæ præ ceteris deditus haberi et sic jus possidere aliis leges

leges præscribendi, sicut id, quod arrogantiam uniuscujusque doctoris ecclesiastici in primis permulxit, illamque saepius in ardorem mutavit, non pro veritate defendenda, sed pro auctoritate sedi, quam tenebat, Episcopali, aliquando vindicata, ulterius firmanda et conservanda. Quo mere politico consilio etiam aliis doctoribus causæ suæ implicitis invidiaque aemulatorum mota, ignem accendit, qui fulguris instar tanto cum furore ecclesiam pervolavit, raro per longum tempus funditus extinctus. Motus et seditiones in concilio Ephesino talem præcipue habuisse originem, etiam eo probatur, quod vel hodie incertum sit, utrum assertiones altercantium ejusdem an diversi fuerint argumenti. Credimus Iubentius, Episcopos, qui undique hoc concurrere, ingenia sua acuta in eo in primis occupasse, ut ex vocibus et effatis, quibus suis quisque adversarius in thesibus proponendis usus fuerat, derivare possent conclusiones 1), quæ hunc in numerum haereticorum transferrent, e gremio ecclesiam ejicerent, munere Episcopali privarent, et denique plane innoxium aemuli partibus redderent. Meditatio tranquilla et neutri parti favens locum prorsus non habuit, omnisque controversia in vanam saepe abiit logomachiam, quæ eatenus tantum veritatibus Christianæ Religionis profuit, quatenus formulis quibusdam

A 2

Theo-

1) "Bei dieser Lage der Sachen ist es nicht zu verwundern, dass der Gang des ganzen Streites von Inconsequenzen und heillosen Consequenzmachereien wimmelt. Es war leere Consequenzmacherey, wodurch Cyrillus und Nestorius sich verkezerten und wodurch die beiden Parteien auf der ersten Ephesinischen Synode sich verdammten. Es war Consequenzmacherey, dass die Orientaler dem Cyrillus Apollinaristische, Doketische und Arianische Irrthümer Schuld gaben, und dass sie wieder von diesem des Samosatenianismus und des Phothenianismus beschuldigt wurden." Münscher Dogm. Gesch. IV. Band. pag. 120.

Theologicis, significatio, qua antea caruerant, firma et constans, nec tamen semper clara et certa, addebatur.

Causa, cur consilium hoc Ephesinum convocaretur, hæc fuit. Post mortem *Sicinnii*, Constantinopolitanorum Patriarchæ, *Nestorius*, Presbyter Antiochenus, ob mores castos et honestos ac bene expertam facundiam, a Cæsare anno post Ghristum CDXXXVIII successor ejus nominatus est 2). Qui, celeberrimi Theodori Mopsuestani discipulus 3), nec ipse indoctus, verum arrogans et imprudens, gravi suo munere, cum applausu, industria et præcipuo ardore pro orthodoxia defendenda ac hæreticis extingueendis, fungebatur. Attamen jam in principio ephoratus sui hæreseos ipse accusatus est. Unus enim amicorum ejus, Athanasius, sermone ad populum habito, epitheticum nomen *Θεοροζος*, quod de matre Servatoris adhiberi in usu fuerat, vehementer oppugnaverat 4). Quæ res cum sacerdotibus esset offensioni et seditiones in populo Byzantino, ab his excitato, inde moverentur, Nestorius, ut amicum defenderet, orationibus e suggesto aliquoties habitis, vocem illam rejicere perrexit 5) multisque argumentis demonstra-

re

2) Socratis Hist. eccles. Libr. VII. Cap. 26. 28. 29.

3) Evagrii Hist. Eccles. lib. I. c. 2.

4) "Nemo Mariam Deiparam (*Θεοροζον*) nominet, Maria enim est homo et fieri non potest, ut Deus ex homine natus sit." Socrates lib. cit. cap. 32.

5) Originalem harum orationum textum invenire mihi non con-tigit, sed tantummodo excerpta e versione Germanica in Dogm. Gesch. v. Münscher B. IV. pag. 54. "Wenn man von einer Mutter Gottes spricht, so sind die Heiden zu entschuldigen, welche ihren Göttern Mütter beilegen. Kein Geschöpf hat den Unerschaffenen gehobren, sondern Maria

re conatus est usum ejusdem pravum, abnormem, Arianis-
que et Ethnicis erroribus esse affinem. Neque vero his a-
nimi pacati sunt, sed magis magisque ira in Patriarcham
incensi, unusque hostium ejus, nomine *Proclus*, concionem
habuit, qua sacram virginem laudibus insane et supra mo-
dum prosequebatur 6), eam praesente Nestorio Θεοτόκη no-
mine saepius invocare non dubitans. Interea sacerdotes et

Mo.

gebahr den Menschen, welcher das Werkzeug der Gottheit
ist. Der heilige Geist hat nicht den Gott Logos hervorge-
bracht, sondern für ihn aus Maria einen Tempel gebaut, in
welchem er wohnen sollte. Der Menschgewordene Gott ist
nicht gestorben, sondern hat den in welchem er Mensch ge-
worden war, auferweckt." et in Walchii Hist. der Kezereien
etc. V. Th. pag. 360. "Maria, du hast keine Ursach, dich
zu erheben. Denn du hast nicht Gott gebohren, sondern
einen erschaffenen, gemachten, sterblichen und uns dem We-
sen nach gleichen Menschen, der allein aus Gnade den Nah-
men Sohn Gottes erhalten und wegen seiner Verbindung mit
den sterblichen Jesus der Sohn Gottes genennet wird."

- 6) Binii Coll. Conc. gen. Tom. II. Part. I. p. 1. "Hæc illibatae
virginitatis purus ille thesaurus, deusque et ornamentum:
Hæc spiritalis secundi Adami Paradisus: hæc unitarum in-
ter se naturarum officina: hæc salutario reconciliationis
panegyrus: hæc thalamus in quo Verbum humanam naturam
sibi desponsavit: hæc animatus naturæ rubus, quem divini
partus ignis non combussit: hæc vere laevia illa nubes, quæ
super Cherubim sedentem in corpore gestavit: hæc vellus
mundissimum colesti pluvia madens, ex quo pastor ovem in-
duit: hæc ancilla est et mater, virgo et cœlum: hæc sola
pons est, per quem Deus ad homines descendit: hæc admiran-
dæ illius œconomiae tela, in qua ineffabili quodam modo ad-
mirabilis illius unionis tunica contexta est; cuius quidem tex-
tor exstitit Spiritus Ss; netrix, virtus ex alto obumbrans; la-
na, vetusta Adami pellis; trama, impolluta virginis caro; ra-
dius textorius, immensa gestantis gratia; artifex, Verbum per
auditum illapsum. et cet.

Monachi. hospitem sibi esse antistitem constitutum indignati, factiones contra Patriarcham compararunt. In primis honoratores eorum, quoniam ipsi dignitatem Episcopalem ambierant, hanc spem suam vanam factam ægre tulerunt, et cum apud Imperatorem quarelis suis nil damnosum ei inferre possent, rem *Cyrillo*, Episcopo Alexandrino, vito turbulentissimi et arrogantis ingenii, nec non ob varias causas hosti Nestorii infestissimo 7), delegarunt. Cyrillus qurelas eorum lubenter suscepit et, pluribus ultro citroqe datis et acceptis scriptis, quorum materia non tantum nomen Θεοτόκος respexit, sed et circa totam doctrinam de incarnatione Christi versabatur, variis ambos Patriarchas reconciliandi conatibus frustra factis, Coelestinoque, Episcopo Romano, in partes suas vocato, veluti ad arma convolavit, conciliumque anno Christi CDXXX. Alexandriæ coégit 8). Hic duodecim *Anathematismi*, Nestorium damnaturi, conscripti et ad eum litteris missi, qui constituerent ei formulam, hæreticorum scilicet dogmatum revocandorum. Sed Patriarcha Byzantinus in his multos et perniciosos errores inveniens, eodem sensu cum membris concilii Alexandrini minime fuit, totidemque *adversario Anathematismos* reposuit. Cum eo Patriarcha Antiochenus Johannes et ecclesiastici orientales sese junxerunt. Dissidiis periculosis tali modo ortis, vix nisi adhibita violenta manu componendis, Imperator Theodosius secundus generale Ephesi anno Osti CDXXXI

7) Patriarchæ Byzantii et Alexandriæ in vicem de dignitate dijam contenderant. Exinde etiam Theophilus, antecessor Cyrilli, Chrysostomum, unum ex antecessoribus Nestorii, accusaverat atqne rem ita paraverat, ut hic munere suo privaretur. Nestorius vero sedem Episcopalem adeptus, superiorum venia publice famam Chrysostomo restisuit integrum, qua re Cyrillus graviter offendus est. Münscher Tom. cit. pag. 58.

8) Moshemii Hist. Eccles. Saec. II. Part. II. pag. 222.

CDXXXI indixit concilium 9), in quo errores utriusque partis proponendi et dijudicandi essent. Ubi gestarum rerum longiorem enarrationem omittens, ad propositum meum festinans, argumenta concertantium accuratius examinare et inter se comparare conabor. Quandoquidem præcipua litigantium asserta in anathematismis supra laudatis continetur, eundem, quem in his secuti sunt auctores, ordinem in re exponenda servabo.

§. I.

Nimirum sonant: Cyrilli Anathematismus 1:mus "Si quis non confitetur, Emmanuel vere Deum esse et ob id sanctam virginem Deiparam (*θεοτόκον*); genuit enim illa carnaliter (*σαρκικώς*) incarnatum (*σαρκα γεγονότα*) Dei Patris Verbum (*λόγον*); anathema sit."

Nestorii adversario Anathematismus 1:mus: "Si quis est, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixerit, et non potius nobiscum Deum; hoc est, inhabitasse eam quae secundum nos est, naturam, per id, quod unius est nostræ, quam de Maria Virgine suscepit: matrem etiam Dei Verbi et non potius ejus, qui Emmanuel est, nuncupauerit; ipsumque Dei Verbum in carnem versum esse, quam accepit ad ostentationem Deitatis suæ, ut habitu inueniretur ut homo; anathema sit" 10).

Ut supra jam diximus, originem contentio ab eo duxit, quod Nestorius inter epitheta Mariæ virginis illud *θεοτόκος*

9) Mosheim. l. c.

10) Hasce XXIV. Theses ex Binii coll. conc. sumsi, ubi Cyrilli quidem græca et latina, Nestorii vero solummodo latina nobis servata sunt lingua; quare necesse fuit, utrasque latinam versione iisdemque, quibus vir laudatus est usus, verbis tradere.

τονος rejecerat, quæ res Cyrilli animum vehementer movit. Anathematismus igitur primus de hoc vocabulo tantummodo agit, condemnatque Cyrilus omnes, qui non consentur sacram virginem Deiparam esse, simulque veritatem hujuscæ rei demonstrare studet hoc modo: Emmanuel est vere Deus; Maria genuit Emmanuel; ergo Maria genuit Deum, et Deipara vocabitur. In demonstratione vero hac sua usus est vocibus, quæ orthodoxiam Orientalium graviter læserunt. De nomine Salvatoris Emmanuel recte quidem sentit Cyrillus, quod probatur ex libro ejus de incarnatione unigeniti 11), ubi dicitur: *Emmanuel nominatur Deus Verbum, quod semen Abrahæ apprehendit et similiter ac nos participavit carni et sanguini.* Sed voces in anathematismo adhibitæ, *carnaliter* (*σαρκινως*) et *incarnatum* (*σαρκα γεγονοτα*) haereseos culpa eum accusandi Orientalibus opportuñæ fuerunt. Dixerunt enim: si *carnaliter* genuerit Maria Servatorem, Cyrilus negat nativitatem Christi miraculum fuisse, et si *incarnatum* apponenteretur Verbo Dei, Divinitas mutationi obnoxia est. De priori sic loquebantur: Si Christus natus est *carnaliter*, vel quod idem est, naturali modo, an Maria virgo pura vocabitur? et quo ponemus miracula hac occasione edita? Quo annunciationem angeli ad Mariam: *Spiritus Sanctus superveniet in te esc.*, Stellam Magis Persianis viam illustrantem, tripudia Angelorum et Pastorum de natali, et coeleste illud jubileum: *Gloria in excelsis* etc. Num hæ res naturæ legibus convenientes habenda? nonne potius indicia nativitatis, quæ Deum decet? 12) Alteram vocem, *incarnatum*, rejecerunt, utpote quæ vel quibusdam sacræ scripturæ dictis 13) repugnet, ac quia divinitas non sit conversionis et mutabilitatis capax; unde ad Phil. 2. 5. monuerunt palam esse, quia Dei forma mutata non est in servi formam, sed manens

11) Bin. Coll. T. II. Part. II. pag. 507.

12) Ibidem pag. 442.

13) Ibidem pag. 477.

nens quod erat, Christum assumisse formam servi. — *Igitur non factum esse carnem (σαρκα γεγονοτα) Deum Verbum* — nec naturaliter (*ενορμησε*) e virgine natum 14). Contra hæc argumenta regessit Cyrillus, has voces jam antea a Patribus Nicææ congregatis in formulis Theologicis adhibitas, auctoritate non carere, nec se usurpando vocabulo *carnaliter* negare *operationem Spiritus Sancti*, qua in utero *formavit partum*, vel alia miracula laudata, sed tantummodo contendere, puerperium Mariae, exceptis his, naturali ordini in osini congruens fuisse 15).

Quod attinet ad vocem *incarnatum*, facile perspicimus, nec a Cyrillo eam ejusdem significationem approbatam fuisse, quæ Orientalibus displicere potuerit. Expressus enim dicit in epistola ad Nestorium 16): *Verbī natura per mutationem quandam in carnem facta non est, sed verbum carnem anima rationali secundum hypostasin inexplicabili et incomprehensibili modo sibi univit, homo factus filiusque hominis appellatus est, quodque sine ulla confusione, mixtura, conversione vel immutatione, perfectum est.* Et alio loco definitius: *Affirmamus igitur, Verbum, quod ex Deo patre est, assumisse sanctam et animatam carnem, unitumque secundum veritatem inconfuse, ex utero ipso processisse (προεόχεσθαι) hominem, permansisse autem etiam sic deum verum 17).* Ex quibus

14) Ps. 101. Hebr. I.

15) *Carnaliter* autem dicere non est tollentis admirabilem nativitatem neque evertentis Spiritus S: i operationem, qua in utero formavit partum; sed docentes potius, quod sicut Deus gignit divine h. e. digne Deo, secundum suam naturam; ita et homo humana h. e. caro carnaliter. Bin. pag. 443.

16) Bin. Part. I. pag. 164.

17) Ibidem.

bus Cyrilli declarationibus sententia, quam in thesi sua exprimere voluit, me judice hæc fere est: Emmanuel est Deus Verbum' quod sine ulla conversione vel commixtione semen Abraham apprehendit ac participavit carni et sanguini; quamobrem sancta virgo, e qua naturam nostram suscepit, et ex cuius utero *carnaliter*, h. e. naturali sive eodem modo ac alii homines, processit (*προγένεσις*), Deipara (*Θεοτόκος*) vocabitur. Contra hoc Cyrilli, Nestorius verbis forsitan potius, quam ipsa re ab eo dissentiens, in homilia quadam animaduertit, Euagrio narrante 18), *Mariam non peperisse Deum, sed hominem mortalem*; et in alia: *fieri non posse, ut homo Deum gignat; puerum duorum mensium ætate, dici non posse Deum.* Porro in epistolis ad viros quosdam, huic liti implicitos, sequentia invenimus Nestorii enunciata 19): *non per se ipsum Deus est, qui in utero figuratus est; ανθρωπός το τεχθεὶς, ὁ Θεός;* ut et monuit suum illud 20): *Maria non peperit divinitatem, male a Cyrillo mutatum esse in: non peperit Deum.* Ex tota controversia elucet, Nestorium, quantum fieri potuerit, eas evitare voluisse voces, quæ ad incarnationem Christi referenda, notionem conceptionis, partus, lactatus etc. habuerunt et hanc ob causam verbis *παρερχεσθαι, προερχεσθαι,* potius usum fuisse. Timebat enim, ne simplicioris et ad credendum promptioris ingenii homines ex dictis, *Maria Deum genuit, Deus carnaliter natus est*, aliquique similibus commoti, vel sanctam virginem ad dignitatem Deæ forte evehentes, in errores Ethnicos inciderent vel Divinitatis, infirmitatibus scilicet humanis obnoxiae, originem in utero Mariæ admitterent. Hinc nomen *Θεοτόκος* condemnavit, in

cu-

18) Ejusdem Hist. Eccles. lib. I. cap. 2.

19) Marius Merc. Tom. II. pag. 5--12.

20) In Synodico Cap. 6.

enius locum το χοιροτονος substituendum maluit; sed ipse, ut multi alii antiquioris et recensioris ævi doctores ecclesiæ, mysterium incarnationis Christi clare et distincte exponendi viribus carentes, dubiusque et obscuris loquendi formulis utentes, accusatus est, quod divinam Christi naturam negare vel unam Salvatoris personam in duas dividere videretur, adeoque hereticus est damnatus. Quod vero magna cum injuria factum existimamus. Primo enim Nestorius in advers. Anathematismo suo per Emmanuelem intelligit, *Verbum Dei humanæ naturæ, ex Maria assumtæ, unitum.* Quam unionem, angelo nunciente, in ipso conceptionis momento factum esse profitetur in epistola ad Johannem Antiochenum 21); *omniumque rerum Dominum per illam (Mariam) processisse (προερχεσθαι),* in epistola ad Coelestinum Romanum 22); unde probatur eum Divinam Christi naturam haud negasse. Deinde ut ex pluribus locis constat, humanam Christi naturam *templum*, in quo habitet Verbum Dei, vocat; *Verbum vero nexu adeo usque sublimi, divino et admirabili ipsi conjunctum esse,* ut *divina natura ea sibi vindicet, quæ corporis alioquin sint propria,* et harum naturarum *in una duntaxat personam conjunctionem (εις ἑνὸς προσωπῆ συναρτεῖν)* in litteris suis ad Cyrilum 23) urget; unde patet, eum non duas assunxisse in Christo personas. Porro quædam voces a Nestorio adhibitæ, Cyrillo displicuerunt, *templum* scilicet et *inhabitasse.* His adjutus Nestorium accusat, quod divinitatis et humanitatis conjunctionem tantummodo accidentalem, moralem et parastaticam, vel eam quæ in Prophetis Apostolisque locum habuit, fuisse contenderit. Hanc vero Nesto-

21) Ibid. Cap. 3.

22) Bin. Part. I. pag. 182.

23) Ibidem. pag. 166.

rii sententiam minime fuisse, multis argumentis probari potest, in primis ex ipsius, circa vocem *templum*, declarazione: *Quamvis de Christo utimur vocabulo templo, ita tamen non intelligimus, quasi de divinitate separari posset, sed cum ea semper unitum, omnem possidens divinam Majestatem et cum Deo agens et imperans universa* 24). Vocabulum *inhabitasse* eodem defendit loco. Nec ullibi Nestorius, quamvis Mariam Deiparam esse negaret, deprehenditur se opposuisse huic thesi: *Ille, quem genuit Maria, Deus est, si modo relative sumatur; sed potius crediderimus, eum duas theses falsas, ex abuso verbi θεοτοκος ortas, oppugnasse; unam, qua abstractum ponitur pro concreto, quae est: Divinitas est nata, et alteram, in qua concretum reduplicatur, nimirum: Qui natus est, siquidem natus est, Deus verus est.* Ex hoc modo rem dijudicandi, omnia, quae in scriptis Nestorii sibi invicem adversaria videntur, consiliari possunt. Emmanuel esse vere Deum, et Mariam matrem ejus, haud negat, si modo observetur discrimin inter idiomata diversarum in Christo naturarum; quod ex sequentibus anathematimis ulterius exponemus. *Tolerare etiam possumus,* dicit in epistola ad Cœlestinum 25), *hoc nomen (θεοτοκος) propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa, non quia ipsa mater sit Dei Verbi, nemo enim antiquiore se parit.* Patet igitur sententiam Nestorii proxime eandem fuisse cum ea, quae Cyrillo placuit. Nam eandem foverunt notionem vocis *Emmanuel*, cuius matrem Mariam ambo dixerunt; eodem greco vocabulo προσωπεια, de τῳ procedere Verbi Dei ex utero Mariae, usi sunt; nec in totum dissenserunt de nomine θεοτοκος. Minore quidem jure Nestorius hoc repudiavit. A patribus enim saepius approbatum, inter formulas re-

24) Garnier. p. 103.

25) Bin. Part. I. pag. 182.

religionis auctoritatem nactum erat, nec Orientalibus offensioni fuit. Qui tamen dissensus magna illa dissidia non effecisset, nisi ut supra monuimus, adfuisse causæ externæ et politicæ.

§. 2.

Cyrilli anathematismus 2:duis: "Si quis non confitetur, "Dei Patris Verbum carni secundum hypostasin unitum, u- "numque tantum una cum sua carne esse Christum, eun- "dem nimurum Deum simul et hominem, anathema sit."

Nestorii adv. Anathematismus 2:duis: "Si quis in verbi "Dei conjunctione, quæ ad carnem facta, de loco in locum "mutationem, divina sententia dixerit esse factam; ejusque "divinae naturæ carnem capacem esse dixerit, ac partialiter "unitum carni, aut iterum in infinitum incircumscripçæ na- "turæ, cum extenderent carnem, accipiendum Deum; eun- "dem ipsum natura et Deum. dicat et hominem, anathe- "ma sit."

In primo anathematismo lis circa nomen θεοτοκος occipata erat, quod immediate materiam de persona Christi disceptandi altercantibus præbuit. Nestorius negavit, ut semper diximus, nomen θεοτοκος eam ab causam, quod hoc adhibendo λόγος et caro non distinguerentur. Cyrus hinc eum arguit statuisse duas personas, unum filium Dei et alterum filium hominis, vel contendisse, Mariam non peperisse Deum, sed solum hominem. Hoc respiciunt et secundus et sequens tertius anathematismus, quibus Cyrus unitatem Christi urget, et auctoritate sua adversariorum tela reprimere vult; sed etiam hac in re agenda vitia et defectus Terminologiæ, qua utitur, Theologicæ apparent, et instrumenta præbent ab altera parte stantibus heresæos cul-

pa eum in vicem accusandi. In Anathematismo vero 2:do solam phrasin *καὶ ὑποστάσιν*, ei vitio vertunt. Theodoretus, unus ex doctissimis hujuscē aēvi, Episcopis, nec nō adversarius Cyrilli strenuissimus, contendit ex unitione Verbi Dei cum carne secundum *hypostasin* peracta, oriri temperaturam (*χρόνον*) divinæ et humanæ naturæ; et porro ait: *necessere est ad temperaturam sequi confusione*, *ingressaque confusio auferat uniuscuiusque naturæ proprietatem*, quæ enim temperantur, non permanent ut primo fuerunt 26). De caetero Cyrillo largitur, quod in Anathematismo dicat, *unum tantum cum sua carne esse Christum*, *eundem nimirum Deum simul et hominem*. Cyrilus omnem conversionem et confusionem vehementer negans, hoc secundum *hypostasin*, nihil aliud demonstrare affirmat 27), nisi solum verbi naturam, sive subsistentiam, quod est ipsum *Verbum*, *humane naturæ vere unitam esse*. *Ὑποστάσις*, in sacris scripturis de unitione naturarum nunquam occurrentis, apud Aristotelem denotat *realitatem*, vanae imagini oppositam, qua forsitan significatione etiam hoc loco a Cyrillo adhibebatur, cum, Nestorii differentiam naturarum nimis distinctam oppugnans, tam grauiter et dilucide, ac fieri posset, suam exprimere vellet sententiam: scilicet *Verbum Dei humanae naturæ vere et realiter* (*καὶ ὑποστάσιν*) *unitum esse*. Nestorii secundus adv. Anathematismus praecipue directus est in vocem *Hypostasin*, ex cuius usu conclusiones extorquet maxime absurdas. Primo condemnat omnem mutationem *de loco in locum* in conjunctione Verbi Dei cum carne, Cyrillo, ut videtur, vitio vertens, quod *λογον* a Trinitate segregaret, carni Eum conjungendo et sic in divina essentia mutationem quandam de loco

26) Bin. part. III. pag. 481.

27) Ejusdem part. I. pag. 182.

loco in locum assumendo. Sed explicatu mihi sane difficile est, quomodo ex anathematismo hocce vel aliis Cyrilli scriptis haec in eum suspicio sit mota. Nec alibi eum ejusmodi crimine horrendo accusatum reperi. Deinde concludit, si ex Cyrilli verbis Divina natura secundum Hypostasin carni unita sit, humanam naturam Divinitatis esse debere capacem vel diuinitatem partitioni obnoxiam vel carnem ad accipiendo Deum in infinitum extensam esse. Quae adversariorum dogmata interpretandi ratio, doctoribus hujus aevi ecclesiasticis digna sit, nec necessarium facile ducerem, ut ad has iniquas reprehensiones responsum dedisset Cyrillus, quoniam eas nulla tenus in se contraxerat. Nam si forsan vocabulum *hypostasis* prave explicatum, his ansam quandam praebuerat, tolluntur tamen eaedem per interpretationem hujus vocis supra datam. Porro Nestorius in fine anathematismi condemnat eum, qui eundem ipsum natura et Deum dicat et hominem; sed haec verba sequentem Cyrilli anathematismum proprie spectant.

§. 3.

Cyrilli anathematismus 3:ius: "Si quis in uno Christo post unionem dividet hypostases ipsaque ea tantum conjunctione (*σύναρτσις*) inter se connectit, quae est secundum dignitatem sive auctoritatem vel potestatem, et non eo potius concursu (*συνόδος*) qui est secundum naturalem unionem (*ένωσις φυσική*); anathema sit."

Nestorii adv. anathematismus 3:us: "Si quis non secundum conjunctionem unum dixerit Christum, qui est etiam Emmanuel, sed secundum naturam; ex utraque etiam substantia, tam Dei Verbi, quam etiam ab eo hominis suscepti, unani filii connexionem, quam etiam nunc inconfuse servant, minime confitetur; anathema sit."

Mul-

Multoties Cyrillus in scriptis suis contra Nestorianos sic locutus est, quasi diversitatem duarum in Christo naturarum sustulisset, et idcirco non tantum apud hos indignationem commovit, sed et a recentioribus accusatur, quod ipse semina sparserit, quibus discordiae Eutychianae, sedatis Nestorianis ortae, accreuerunt. Quae opinio probabilitatem sibi sane vindicat, si contemplemur conuenientiam inter anathematismum Cyrilli mox allatum, et doctrinam Eutychis, unam tantum in Christo esse naturam, Verbi nimirum, verum incarnatam 28). Praeterea Eutyches Abbas Collegii cuiusdam Monachorum Constantinopolitani 29), ex causis politicis in Nestorium ira infensus, ardens dogmatum Cyrilli fautor et admirator fuit. Quam facile igitur ille, omnem argumentationem Cyrilli pro vero irrefutabili habens, hujus exemplo et effatis ancipitibus potuit ad unam tantum assumendam Christi naturam duci. Attamen contendere non audemus, Cyrillum ejusdem sententiae cum Eutychie in hac re fuisse, quod ex sequentibus elucebit. Cyrillus anathematismum tertium in eum vibrat, qui in uno Christo post unionem dividet (*διαιρεῖ*) hypostases. In epistola ad Successum 30), eandem rem aliis verbis pronunciat. Dicit nempe: *Post unionem non dividimus naturas* (*φυσεις*) *nec unum individuum in duos filios sejungimus, sed profitemur unum tantum filium et, ut Patres locuti sunt, unam naturam incarnatam Dei Verbi* (*μιαν φυσιν τη θεο λογια σεσωζομενην*). Cyrillus in describendis iis, quae in Christo juncta sunt, promiscue verbis *ὑποστάσις* et *φύσις*, *ut non tantum ex dictis citatis, sed etiam ex pluribus aliis ejus*

28) Mosheim, Hist. Eccl. pag. 225.

29) Ibidem.

30) Walch. Kirch. Gesch. V. Th. pag. 806.